




13 B, 46 287

REFVTATIO PRÆTENSIONIS
 Illustri^{mæ}. Domus Ducalis
 CVRLANDIÆ,
 In Districtum Piltensem.




Quandoquidem animal quodvis irrationale, ad iniuriam sensum, ab ea se tueri quantum potest, natura stimulante conatur, exemploq; probat, quod Defensio sit Iuris naturalis. Certè homini, qui presertim usu rationis, & animi affectibus imperare, defensionemque ad normam recti temperare nouit, ad se remq; suam tuendam, hoc naturæ beneficio uti licebit. Non debet igitur quispiam nec vitio aut crimini vertere eum feruorem, Iis Nobilibus Districtus Piltensis, qui non solum ceteris ejusdem Patriæ Ciuibus, fratribus, ac coequalibus suis propter subiectionem Illustrissimo Duci Curlandiæ indecenter factam (execrandam eorum incuriam, neglectum, & vilipendium immunitatis & Privilegiorum suorum exprobrant, quod non secus

13 M

Ext. A

atq;



41387

atq; Gallus ille gallinaceus unionem simul cum grano tritici
è terra pingui eruens, granum potius quàm unionem assu-
re maluisset; ita illi Iura sua libertatis, cum agnitione Iuris-
dictionis Ducalis, & subiectione, à quâ licet optimis suis Iu-
ribus & Privilegijs exempti sint, tamen privati affectibus &
respectibus suis ducti, irrationabiliter prorsus permutare mal-
lent: sed etiam Illustrissimi Ducis Curlandiæ Intentioni, tan-
quam Privilegijs totius Districtus Piltensis perniciosissima ad-
uersantur, seseq; cum ratione opponunt. Materiam hujus
controversiæ, si quis indagaverit, talem reperiet, quæ sequi-
tur Illustrissimus Curlandiæ Dux, præten dit Ius in
Capitaneatum & Districtum Piltensem: Primum ex inve-
stitura sua Ducali. Deinde ex Cessione Iuris, & tradi-
tione Sibi à Suecis ultimi belli tempore facta. Deniq; ex
Transactione cum Nobilibus multis dicti Districtus Piltensis
de submissione inita, consensu insuper accedente S. R. Mtis.
quibus rationibus Se, Iurisdictionem in eundem Districtum
satis evincere posse putat. Cum verò illæ ad eandem Illustris-
simi Ducis intentionem longè non sufficiant, imo verò contra
eandem aperte militent. Visum fuit ex Investitura Illustris-
simi Ducis, à S. R. Maiestate Dño Dño nostro
clementissimo, sub data Varsaviæ die 28. Men.

Maij

nia spráwiedliwosci miedzynimi samemi, przy
dawnych zwyczáich iáko do tad byli, zostá-
wuiemy. W czym Xiażatá Ichmość. Kurlánd-
scy, ktorzy ná wykupienie Stárostw, w Powie-
cie Piltynskim wolność máia nie derogowác,
y w odpráwowaniu Sadow ná mieyscách zwy-
czaynych żadnego impedymentu czynić nie
máia. Wszakże Appellacye od sadow ich do
nas, y Sadu nášzego a nie gdzie indziey íść má-
ia, tak iáko sprawy sadowe Inflantckie.

S *ic igitur distincta fuit Iurisdictio Territorii Piltensis à
Iurisditione Ducum Curlandia, ut quid clarius esse non
possit, & in hac parte Illstrmo Duci Investitura, plus præ-
iudicet, quam in rem serviat: præsertim quod eo nomine cum
Ordinibus Regni agere neglexerit, & prætermiserit.*

T *ertio ex tenore Commissionis subsequentis docetur à Ter-
ritorio Piltensi totaliter excludi jurisdictionem Ducalem
cuius hæc sunt verba-*

N Os Ioannes Kuczborski Dei & Aposto-
licæ Sedis Gratia Episcopus Culmensis
& Pomesaniæ, Adamus Talwois, Samogitiæ-
Maxi-

Maximilianus Przerębski Zawichostiensis, Castellani, Capitaneus Petrichoviensis Guilelmus Kochanski S. R. Mtis. Secretarius, Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Dñi Dñi. Sigismundi III. Dei gratiâ Regis Poloniae, Magni Ducis Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogitiae, Livoniae nec non Sueciaeque; Haereditarij Regis, Dñi Nostri Clementissimi, Ordinumque; Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithvaniae, in Ducatum Curlandiae & Semigalliae Districtumque; Piltensem, plena cum potestate Ablegati Commissarij, significamus praesentibus literis Nostris quorum interest universis & singulis. Quod cum Commissione S. S. Mtis. Dñi. Nostri Clementissimi, & Ordinum Regni, iunctum Nobis esset, ut in Districtum Piltensem nos conferremus, ibidemque, indicto & publicato Conventu, statum Districtus illius inspiceremus, Iudices & Iudicia constitueremus, in rebelles & contumaces Mandatis S. S. Mtis. minus obsequentes, ordinationumque; ejusdem S. R. Mtis. suppressores & detentores animad-

ver-

verteremus, gravioris momenti Causas, & Controversias Nobilium cognosceremus, Appellationum ad S. R. Mtem. interponendarum modū præscriberemus, Præfectum Piltensem constitueremus, Eumq; S. R. Mtis. & Reipub. fidei iuramento obstringeremus, Decreta S. R. Mtis. executioni demandarem, liberum Catholice Romanæ Religionis exercitium, novumq; Cæalendarium promulgarem, aliaq; ex præscripto mandatorum S. R. Mtis. perageremus ea omnia Nos in Cōventu Nobilitatis, ad diem 27 men. Martij. Hasenpothy. à Nobis indicto habitoq; Iurisdictione Nostra Commissoriali ibidem promulgata, pro fide & Officio Nstro, recum Nobilitate communicata, ad præscriptum Mandatorum S. R. Mtis. sequentem in modū constituisse & sanxisse, prout constituimus, sancimus & promulgamus, præsentibus literis Nostris.

Imprimis ne in posterum à quopiam in colenda libere Catholica Romana Religione metus prætendi posset, Authoritate S. R. Mtis. Con-

sensuq; vniversi Districtus huius Nobilitatis, hoc in vim legis perpetuæ sancimus, ut nimirum liberum sit Incolis huius Districtus Cuiuscunq; Status & conditionis hominibus Religionem Catholicam, profitentibus, vel eam profiteri volentibus, iuxta præscriptum Romanæ eiusdemq; universalis Ecclesiæ Sacella, Tēpla, Scholas, ædificare, vel antiqua in bonis suis accōmodare, Sacerdotes Catholicos quoscūq; accersere Eorumq; ministerio in sacris pro familia subditisq; suis uti Magistratus veró Politicus, ut ex Officio, & sub gravi indignatione S. R. Mtis. teneatur tueri & defendere, ab omni vi & iniuria loca sacra, hominesq; Religionem Catholicam Romanam profitentes, vel eam docentes, rudesq; Catholica fide imbuentes. Admunia quoq; publica Catholicis, qui ex ijs in Districtu hoc Idonei fuerint, liber aditus esse debet. Calendarium novum in omnibus Imperio S. R. Mtis. subiectis Provincijs receptum Nobilitas quoq; huius Districtus uniuersa, ad requisitionem Nostram S. R. Mtis. nomine factam

Etiam, alacri animo recepit, quod ad Festū proximum S. Ioannis Baptistæ præsentis Anni 1617. publicè etiam per Consiliarios introducatur, promulgeturq; per Ministros etiam Ecclesiarum ad notitiã omnium deducatur; ac deinceps ab omnibus constanter observetur, Authoritate Nstra Commissoriali, sub gravi S. R. Mtis. indignatione constituimus, edicimusq;. Iudicia in posterum secundum leges & Ordinationem S. R. Mtis. Anno 1611. Districtui huic concessam, in moderatione tamen, quam nonnullis in, punctis hac fecimus Ordinatione observatã, exerceantur. Si quid tamen ex legibus in Curlandiæ & Semigaliæ Ducatu, Authoritate Nstra Commissoriali promulgatis, Nobilitati Districtus Pilten. usui esse possit; id quantum ratio status, Districtus eiusdem patitur, ut in vsũ suum quoq; Nobilitas referat potestatem Illi facimus.

Iudices & Consiliarios Terrestres constituimus hos septem generosos nimirum Reinoldum Brakel, Hermanum Maydel, S. R. Mtis.

Cubicularios, Vernerum Behr, Illstrmi Principis Electoris Consiliarium, Archimarschalum Vendensem, Fabianum à Rosen, Alexandrum à Sacken, Fridericum Brunau, & Magnum à Brinken. Inposterumq; totidem numero sint, qui à Nobilitate S. R. Mtis. Consensu accedente eligentur, qui Iuramentum de Officio fideliter administrando, Iureq; dicendo præstabunt eâ forma, quæ in ordinatione S. R. Mtis. præscribitur. Notarium Terrestrem Iudicij & Districtus Piltensis creamus Generosum Engelbrechtum à Mengden, qui Ius dicendæ sententiæ in Iudicio habebit, neq; verò eidem Officio in posterum etiam nisi nobilis electione Iudicij præficietur. Iudicium illud in Districtu hoc Nobilitate sit unicum, Iudicio inferiore, quod rationibus Districtus huius minus commodum asseritur, sublato. Quo ambages & protelationes Iudiciorum, Causarumq; in posterum vitentur disceptationes & Controversiæ partium, Causarum sententijs & Decretis inserantur. Citationes & mandata solus præses Iudicij requisitus à par-

à partibus subscribat, atq; sub Sigillo publico e-
dat Appellationes omnes in Causis, quæ sum-
mam Quadringentorum florenorum excesser-
int, ad Iudicium S. R. Mtis. devolvantur, habe-
buntq; Terminum in Iudicio S. R. Mtis. proxi-
mos quosq; menses Martium & Octobrem cu-
iusq; anni. In Criminalibus honoremq; tan-
gentibus, liberum cuiq; sit ad S. R. Mtem. ap-
pellare, exceptis causis Criminum recentium,
invasionum, spolij, deflorationis, & raptus foe-
minarum, deprædationum, homicidiorum do-
lo atq; ex insidijs factorum. In Causis merè Ci-
vilibus Appellans impessionatus, priusquam
Appellatio illi concedatur, Appellato in casum
succubitionis de damnis & expensis resarcien-
dis cavebit, eaq; præstabit, si Appellationem
temerè interpositam fuisse Decreto S. R. Mtis.
Iudicatum fuerit. Si quis Consiliarios & Iu-
dices Piltenses Citationibus temerè ad Iudici-
um S. R. Mtis. evocaverit, damna & expensas,
eam in rem à Iudicibus factas refundat

In executione Decretorum facienda, si ij, quo

rum id muneris erit, negligentes fuerint, pœna Triginta Vngaricalium mulctentur, partique grauatae damna omnia refundant.

Mandata aduersus Executionem impetrata, impedimento non erunt, quominus executio fiat, mandata eiusmodi impetrans mulctâ Triginta quinque Vngaricalium afficiatur.

Quod si ea potentia, aut Contumacia, Iure victæ Partis fuerit, ut Consiliarij seu Iudices, pares Executioni faciendæ non sint, tum vniversa Nobilitas auxilio eis in executione facienda sint, á quo Officio, neq; sanguinis cognatio, neq; necessitudo, aut amicitia ulla quemquam excusabit, sub pœna Centum Vngaricalium, Cui uis inobedienti irroganda, pro qua cuilibet liberum erit contravenientem ad Iudicium ordinarium citare.

Servitium Nobilitatis Equestre, S. R. Mti. & Reipub. debitum constituimus ut in posterum non minus octuaginta Equitum armis omniq; apparatu bellico benè instructorum sit Qui quidem Equites proportionè & qualitate cu-

te cuiusq; Nobilis bonorum, ex assignatione & distributione quatuor Consiliariorum Terrestrium, totidemq; ex Nobilibus eum ad actum iuratis præstabuntur, sub pœna confiscationis bonorum unicuiq; contravenienti irroganda. Præfectos militares tota Nobilitas una cum Consiliarijs, cum confirmatione tamen S. R. Mtis. constituet: quibus ab omnibus, qui signa eorum sequentur, honor obedientia debita præstabitur, Præfectisq; in delinquentes, ratione qualitatis delicti; secundum Disciplinæ militaris usum, durante Expeditione bellicâ, libera sit animadversio.

Ærarium Provinciale publicum Nobilitati Constituendi potestas sit, ad quod omnes mûltæ, Contributionesq; Publicæ, & Collationes spontaneæ conferantur. Cuius ærarij administratio penes duos Consiliarios Seniores, & duos ex Nobilitate ad hoc deputatos sit.

Arcis Piltensis Præfectum Auctoritate S. R. Mtis, ad præsentationem Illstrmæ Sophiæ Ducis Anspachianæ, uti jure contra Ducem Wilhel-

helmum, in Iudicio Nstro. Commissoriali, vin-
centis, Illiusq; Illstris Fratris & Tutoris Illstris.
Principis Dñi Christiani Episcopi Mindensis,
& Brunswicensium ac Luneburgensis Ducis
constituimus Generosum Iacobum Godemā-
num S. R. Mts. Secretarium, Isq; iuramentum
fidei S. R. Mti. & Reipub. coram Nobis præ-
stabit hac forma.

EGO N. Iuro quod Serenissimo & Potenti-
tissimo Principi ac Domino Dño. Sigif-
mundo III. Dei gratiã Regi Poloniae &c.
&c. Eiusq; Maiestatis Serenissimis Successori-
bus, Regibus Poloniae, & Reipub. fidelis ero:
Arcem; Præsidia, & bonã Piltensia, cum in Pos-
sessionem eorum videro, insciã & invitã
S. R. Mte. & Republica. ac Illissima Ducissa An-
spachiãna, durante Iure Ipsius, nemini tradam.
Si quid S. R. Mti. & Reipub. nocivum scivero
illud pandam, & pro posse meo avertam, sic
me Deus adiuvet, & Sancta Christi Passio.

Idem alij in posterum futuri Præfecti Pil-
tenses in fide & obsequio S. R. Mts. & Reip.
esse & permanere debebunt. Quod

Quod si modernum Præfectum mori aut
cedere ea contigerit, Illstris. Ducisa Anspachi-
ana Succesoresq; Ipsius in Hypotheca Piltensi,
alium Præfectum, sine scitu & consensu S. R.
Mtis. non ordinabunt, neq; alius ad hoc ipsum
munus, nisi Indigena Nobilis, & in Districtu
Piltensi bene possessionatus constituetur.

Hæc S. R. Mtis. authoritâte & mandato or-
dinata, sancitaq; Nos superscripti Commissarij
manibus Nostri Subscripsimus, Sigillisq; con-
signavimus. Datum in Oppido Hasenpoth,
Districtus Piltensis, Die IX. Maij, Anno Do-
mini. 1617.



*Ioannes Ruch-
borsk. Episc. Cul.
& Pomesan.*

*Adamus
Talvois.*

*Maximilano
Przerabski Cast. Kochanski.
Zawi. Ca. Pet:*

Cum autem nihilominus Illſtrma Domus Ducalis In-
tentionem ſuam poſthac urgeret : A Divo Vladislao
IV. reſponſum fuit Illſtrmo. Friderico Curlandia Du-
ci, Vilnæ die XXII. menſis Julij Anno Dni. MDC. XXX
III. his Formalibus. De Diſtrictu Piltenſi nihil in præſentia, à
S. R. Mte. decerni poteſt, nec jure Feudi Illſtrmo Duci ſine
Ordinum Regni Conſenſu tradi quãdoquidem Lex publica, non
alio Iuris Titulo eundem Diſtrictum Sua Illſtri conceſſiſſet,
quam quo Vidua Anſpachiana gauderat, quocirca ad futura
Regni Comitia negotium id remittitur. Sed paulo ante con-
memoratum eſt, quomodo Illſtrmus Dux Fridericus iſta con-
ceſſione exciderit, in eo autem negotio, cum Ordinibus Regni,
ad quos pro tunc remiſſus fuerat, ulterius nihil egerit. Un-
de arguitur, quod idem Illſtrmus. Dux cauſæ ſuæ fuerit diſſiſus
ideoq; Ordines Regni non requiſiverit, ac propterea ſemper re-
pulſam ſenſerit, quod Reſponſo Divi Vladislai IV. Varſavia
die Martij, Anno Dni. MDC. XXX VII. Ducalibus. Ab
legatis dato demonſtratur his verbis.

De negotio adiungendi Diſtrictus Piltenſis Curlandia Du-
catui cum ſit res, de qua privata Authoritate S. R. Mtas ſta-
tuere non poſſit, futuris id Comitij tractandum relinquit. Et
tametsi ea res pro tunc Sua Illſtrtis. Antecceſſoribus ſuccede-

re nequiverit ; pro ut satis. demonstratum est, cum semper ad Ordines Regni, & ad Comitata fuerint remissi. Nihilominus modernus Illstrmus. Dux in negotio Antecessoribus toties negato perrexit, quando Processu Iuris, eo quidem nomine contra Generosum Ottonem Ernestum Maydell, modernum Capitaneatus Piltensis Possessorem instituto, & sub Illstrmo. olim Georgio Ossolinski supremo Regni Cancellario, Vilna, Feria quinta post Dominicã. Passionis proxima Anno Domini Millesimo Sexcentissimo Quadragesimo Quarto agitato, tandem, præter expectationem suam, talem sententiam experiri debuit, dum omnibus Illstrmi. Ducis rationibus longã serie recensitis examinatis & discussis, sic Decretum fuit.

SAcra Regia Mtas. auditis partium controversijs, visisq; & bene perpensis ab utrinq; Juribus, & Investituris, quantum attinet Ius Feudale, quod Illstrmus Actor sibi ad Districtum seu Arcem Piltensem, una cum Tenuta Curoniensi, & illorum attinentijs universis vigore Tractatum, Investiturarum, & aliorum Iurium in Processu specificatorum, competere prætendit, eo in consideratione habito, quan-

doquidem Illstrmus. Actor non deducit, neq;
comprobat, allegatos Tractatus effectum suum
fortitos, nec eorum vigore ipsum nec Illstrmos
Antecessores eius utile bonorum præfatorum
Dominum aliquando habuisse, nec iuxta earū-
dem Investiturarū continentiam, aliquid eā in
re omnium Ordinum Consensu hucusq; sta-
tutum esse. Ideo salvis in omnibus alijs suis pū-
ctis, conditionibus, & Articulis Investitura &
conventionibus, cum eodem Illstrmo Actore,
anno Millmo Sexcentesimo, Trigesimo nono
intervenientibus eisdemq; in suo robore, & vi-
ridi observatione sacrosanctè manentibus, req;
omni in eo statu, in quo ante hac fuit, iuxta
earundem Inuestiturarum tenorem relicta, ne-
que quin posthac, eā de re, cum Ordinibus Re-
gni agat, via Illstrmo Actori præclusa, citra ta-
men derogationem & præiudicium Iurium Ge-
norosi moderni Citati, eundem Illstrmum Cur-
landiæ Ducem, incompetentem hoc in puncto
Actorem esse adinvenit. Quod verò concer-
nit exemptionem eorundem bonorum, & hy-
pothe-

pothecám in eisdem pro summa Triginta mil-
lium Talerorum, licet quidem Is idem Illrmus
Actor manifestationem eo nomine, Anno mil-
lesimo Quingentesimo octuagesimo quinto fa-
ctam; ac consensum Serenissimi felicis memo-
riæ Parentis S. R. Mtis. desideratissimi. Anno
Millmo, Quingentesimo nonagesimo primo
benignè concessum, ac Decretum Comissoriale
Mllmo, Quingentesimo nonagesimo septimo,
tum constitutionem Regni, Millesimi Sexcente-
simi Noni. & varia Responſa Comititalia, ratio-
ne dictæ exemptionis & hypothecæ producát;
nihilominus tamen cum Antecessores Illstrmi.
Actoris, intra Triennium & Trimestre secun-
dum Iuris præscriptum, & immemorabilem
huius Regni, & curiæ consuetudinem eorum
omnium executionem neglexerint, proindeq;
Iura & Privilegia ipso facto evanuerint, nullius-
que sint roboris & momenti. Generosus autem
Citátus ex Privilegijs & Documentis authenti-
cis pro parte sua productis, potiùs & pinguius
Ius, & pacificam possessionem tam ratione ad-

vitalitatis, quam hypothecæ, in summa Triginta millium Talerorum Imperialium, in eisdem bonis supra specificatis, de quibus res est, legitime & evidentè deducit & comprobat, Ideo inhærendo Iuris præscripto, præsentis Actione incompetenti adinventæ; Citatus ab actione & Impetitione Illmi Ducis liber pronunciat, atq; circa jus suum aduitalitium, tum quoq; circa eandem hypothecam summæ præfatæ Triginta millium Talerorum imperialium Ipsum cum suis hæredibus & successoribus cõcernentem; nec non pacificam eorundem bonorum & illis annexorum quorumq; possessionem dicta Aduitalitate durante, eâ vero finitâ, usq; ad integram summæ præfatæ Triginta millium Talerorum solutionem & restitutionem, juxta Privilegiorum & jurium dicto Generoso Citato servientium tenorem & continētiam conservatur. Ius verò salvum & integrū Illstrmo. Actoris, ratione evictionis ex causa hypothecæ, in supra specificatis bonis & attinentijs suis universis, pro summa Triginta millium

um

um Talerorum, per olim Illustrissimū Wilhelmū Ducem, Istrmi Actoris Parentem Illstrmo olim Joanni Sigismundo Electori Brandenburgico Duci Prusiæ, ut Illstrmus Actor dicit, persoluta Ipsi Illstrmo Actori juxta inscriptionem, ea de re, factā serviens, contra hæredes, & Successores dicti olim Illstrmi Joannis Sigismundi, & alios quosuis, in quantum, & prout de jure; in foro fori reseruat.

Nunc intellecto ex supra allegatis, totaliter concidisse jus, quod Illstrma Domus Ducalis, ex Investitura sua, in Districtum Piltensem habere se putat: eo quod, præter alias rationes, Antecessores, & Sua Celsitudo, rem neglexerint, & cum ordinibus Regni, eonamine nunquam egerint.

Ad reliquas porrò Illstrmi Ducis obiectiones respondendum est, scilicet quod à Suecis Cessionem & traditionem Districtus Piltensis, obtinuerit. Manifestum est autem Suecos pro tunc, utpote nullius juris possessores, qui violentia armorum eundem Districtum occupaverant, nec tamen pacificam ejus possessionem obtinuerant, legitimam & de jure sufficientem traditionem Illstrmo Duci Curlandiæ facere nequivisse, quin etiam Illstrmum Ducem, in præjudicium Reipub. de re tali cum Ho-
ste age-

sic agere, non debuiffe, de quo quidem plura verba facere odiosum foret. Sed cum triti, vulgatiq; juris sit, quibus modis rerum Dominia, licite acquiri possint, hæc res demonstratione ulteriori non eget. Etenim Regni Sueciæ Ministri, rem non suam, in nullo iure, Illstrmo Duci tradentes, nihil tradiderunt; sic & Illstrmus Dux quoq; ab Illis nihil accepit, atq; ideo in vanum, rei quæ non est, mentionem facit.

At hæ rationes ad expungendam traditionem, Illstrmo Duci à Suecis factam, si forsam cuiquam minùs sufficere viderentur, publica mox Pactorum authoritate fulciri possunt. Introspectat veritatis & æquitatis amans Tractatum pacis Olivensis, qui Articulo Xmo. his verbis caret,

Obligaciones atq; recognitiones, si quæ sũt ab Illstrmo. Curlandiæ & Semigaliæ Duce, aut Incolis Curlandiæ & Semigaliæ, Districtusq; Piltensis extortæ per Suecos aut viceversa à Suecis per Polonos, in totum cassantur, nullumq; habere pondus declarantur.

Postremo quod attinet Transactionem quam propter submissionem Illstrmus Dux cum plurimis Nobilibus Districtus Piltensis sed non paucis etiam contradicentibus, aut protestantibus inijt; Eadem, quoniam responso (cum Ordinibus

Regni

Regni agat, toties repetito nõ cõvenit, per se planè subsistere nequit
Siquidem Nobilitas Districtus Piltensis, cum à Republica de-
pendeat, in re ad ordinationem Reipub. spectante, per se nihil
agere potest; imo dum audet, quod facere non licet, in Remp.
¶ leges delinquit, ex delicto vero reatum incurrit; quæ
quidem res in posterum officijs Generosorum Regni Magniq;
Ducatus Litvania Instigatorum examinanda relinquitur.
Practæ vero Transactioni præter rationes alias opponitur non
solum ordinatio superius de verbo ad verbum inserta, quam
Commissarij S. R. Mtis. ¶ Reipub. Authoritate, in Distri-
ctu Piltensi Anno Dñi MDC. XVII. die IX, Maij consti-
tuerunt, quãq; ab Incolis Districtus Piltensis ea omnia firmi-
ter observentur, his verbis cauetur, Hoc in vim legis
perpetuæ sancimus.

At quæ perpetuitas hac foret,
si post quadraginta ¶ aliquot annos, Nobiles privata sua au-
thoritate ac permutatione, eam publicæ Legis vim abrogare pos-
sent. Porro cum pro negotio illicito consensus S. R. Mtis, qui
tamen non, nisi ad sinistram informationem impetrari potuit;
Domus Ducalis iactet; Documentorum supra allegatorum verbis.

Cum Ordinibus Regni agat item Cum sit
res de qua S. R. Mtas priuata authoritate statu-
ere non possit, futuris comitijs tractandum re-
linquit. Iam Tranjectio quam Consensus effectum sortiri ne-
queunt, quia publicâ authoritate, ad quam S. R. Mtas. Ipsa se
retulit, non fulciuntur.

D

Hoc

Hoc igitur est, quod *Districus Piltensis Nobiles*, ad *inconsideratam Confratrum & Coequalium suorum submissionem, Jura & Privilegia sua contra Illstrimi Ducis Curlandia Impetitionem propugnantes, in publicum edere voluerunt, ut omnibus constare possit, quanto Reipublica preiudicio, Illstrimus Curlandia Dux Iurisdictionem in Districtum Piltensem ambiat; in qua materia, postquam in Comitijs, proximè præteritis, Ordines Regni, ac præsertim Terrarum Nuncij, probè sufficienterq; informati fuissent, Integritati Iurium Reipublica in vigilantes, hæc ut sequitur Protestationem & manifestationem, ad Acta Castrensis Capitanealia Varsaviensia interposuerunt.*

Actum in Curia Regia Varsaviensi Feria Quarta post Festum Sanctorum Innocentium, proxima, Anno Dni Millesimo, Sexcentesimo Sexagesimo Sexto.

AD Officium & Acta præsentia Castrensis Capitanealia Varsaviensia personaliter venientes Generosi Paulus Szydłowski, Pincerna Palatinatus Plocensis, Stephanus Tarnowski, Iudex Terrestris Juniuladislauiensis, Stanislaus Michael Vysz Vexillifer Gostinensis, Petrus Paulus Stempowski Subdapifer Gostinensis, Stanislaus Zaremba Iudex Terrestris Sandomiriensis, Nicolaus Szkaszewski Vexillifer

fer Terræ Bielsciensis, Paulus Młocki Iudex Ter-
restris Ciechanoviensis, Franciscus Golinski
Burgravius Terrestris Koninensis, Ioannes Mel-
chior Billewicz Iudex Castrensis Ducatus Sa-
mogitiæ, Adamus de Obory Oborski, Dapifer
Livenfis, Alexander Trzebuchowski Pincerna
Iuniuladlaviensis, Ioannes à Bratofin Zeno-
wicz Marschalcus Terræ Osmianensis, Capitane-
us Kiernoviensis; Matthæus Przećišiński sub
Iudex, Paulus in Mostowo Mostowlki Notarius
Terræ Płocensis, Nuncij ad Comitata Regni Ge-
neralia coram eodem Officio Manifestationem
& Protestationem fecerunt, in hunc qui sequi-
tur modum. Nos Palatinatum, Terrarum, ac
Districtuum Regni Poloniae, Magniq; Ducatus
Lithuaniae ad Comitata Regni Generalia Depu-
tati, hanc coram Actis Castrensis, Capitane-
alibus, Varsaviensibus facere Manifestationem
ac Protestationem Publicæ rei expedire duxi-
mus. Quoniam propter discordantiam certo-
rum membrorum, Comitata concludi, aut quæ-
vis alia publicâ lege statui, firmarive nequive-
runt, ideoq; etiam in Causa Nobilitatis & Ca-
pitaneatus Districtus Piltensis, contra Illstrmi

Curlandiæ Ducis conatus. quibus eundem
Districtum privata authoritate, ex cointelligen-
tia & inductione certorum eiusdem Districtus
Nobilium, consensu S. R. Mtis. ad sinistram in-
formationem, ad id obtento, non attentâ incor-
poratione & connexitate cum Republica ex
transactione de anno Millesimo, Quingentesi-
mo, octuagesimo, Tertio, uti & ex constitutio-
ne Regni, de anno Millesimo, Sexcentesimo,
vndecimo, Decretoq; S. R. Maiestatis. de Anno
Millesimo Sexcentesimo, Quadragesimo, quar-
to, deniq; Cassatione per Instrumentum Pacis
Olivensis, omnium eorum, quæ in casu simili
belli Suetici violentiâ, tanquam nulliter gesta
sunt, contra hæc & complura alia documenta,
Illius intentioni prorsus contraria, tum quod
maximè notandum est, non requisitis Regni
Ordinibus sui Ducatus Iurisdictioni adijcere,
eoq; Districtu, sui Ducatus Dominium, cum
Reipublicæ diminutione, modo illicito ampli-
are satagit. pro nunc nihil decerni potuit. I-
deo pro interesse, & emolumento Reipub. Di-
strictus Piltensis immunitates, & Iura nunc &
in futurum, facta tecta manere, istiusq; Nobili-
titatis indemnitati maturè consulere cupientes,
hanc

hanc Manifestationem ac Protestationem contra Illustrimi. Ducis Curlandiæ Intentiones, unanimi subscriptionum Nostrarum consensu ad Acta præsentia Castrensiâ Capitanealia interponere volumus. prout etiã de nullitate Præ-tensionis Ducalis in Districtum Piltensem, cõ-tra veró, quod integra & inviolata Districtui Piltensi Iura & Privilegia manere debeant, præ-sentibus sollemnissimè protestamur, salvam acti-onem nomine Reipub. contra dicti Districtus Piltensis Nobiles quotquot fuerint, qui in de-rogationem Iurium totius Districtus, imperti-nenter Illstrmo. Duci, se submiserunt, eoq; fa-cto in Rempb. deliquerunt, atq; ideo bona sua, tanquam vacantia publicæ dispositioni com-miserunt, nisi resipuerint, Instigatori Regni, in Comitijis proximè futuris, reservantes. Quare præsentem manifestationem ac protestationem Nostram Actis præsentibus Castrensisibus Capi-tanealibus inscribi volumus, editam & subscri-ptam Varsoviæ post interrupta Regni Comitia, Anno Domini Millesimo, Scxcentesimo, Se-xagesimo Sexto.

Ex Actis Castrensisibus Capitaneatus Warsaw, rescriptum.

Lo. Si,
Castr.

Correxu Gadomski

E *T*hunc *v*odum *p*riusquam *I*llstrma *D*omus *D*ucalis *C*urlan-
*d*ia *s*oluat, *f*rustra *d*e *i*urisdictione *i*n *D*istrictum *P*iltensem
*c*ogitat.

*C*aterum *q*uod *i*n *c*harta *q*uadam *T*ypis *v*ulgata, *q*ue *i*ntitus
*l*atur *S*ummaria *D*eductio *i*uris *I*llstrmis *C*urlandia *D*ucibus *i*n
*D*istrictum *P*iltensem *q*uod *h*ec *v*erba *c*ontinetur. *I*ntenta-
*t*a *e*tiam *A*nno *1644.* *m*oderno *P*ossessori (scilicet *C*apitano *P*iltens-
*s*i,) *D*omino *M*aydelio *a*ctio *e*st *&* *i*us *v*igore *i*nvestitura, *c*ompe-
*t*ens, *I*llstrmo *P*ricipi *m*ediante *D*ecreto *c*enseruatum. *P*erpe-
*r*am *s*ane *T*enorem *e*iusdem *D*ecreti, *s*uperius *d*e *v*erbo *a*d *v*erbum
*e*xpressi, *u*t *&* *a*lia *p*lura *a*llegari *&* *i*n *r*em *D*omus *D*ucalis *d*e-
*q*uere *d*eprehenditur, *c*um *i*n *r*ei *v*eritate, *s*ensus *e*iusdem *D*ecreti; *a*b
*i*ntentione *D*ucali *l*oge *s*it *d*i-versus *&* *t*alis :

*Q*uandoquidem *I*llstrmus *A*ctor *n*on *d*educit, *n*eq; *c*om-
*p*robat *a*llegatos *T*ractatus *e*ffectum *s*uum *s*ortitos, *n*ec *e*orum
*v*igore *I*psum *n*ec *I*llstrimos *A*ntecollosos *e*ius, *u*tile *b*onorum
*p*rafatorum *D*ominium *a*liquando *h*abuisse, *n*ec *j*uxta *e*arum,
*d*em *I*nvestiturarum *C*ontinentiam, *a*liquid *e*a *i*n *r*e *o*mnium *O*-
*r*dinum *c*onsensu *h*ucusq; *s*tatutum *e*sset. *I*deo *s*alvis *i*n *o*mnibus
*a*liis : (*q*uod *b*ene *n*otandum *e*st) *s*uis *P*unctis, *C*onditionibus,
& *A*rticulis *I*nvestitura, *&* *C*onventionibus *&c.* *m*anentibus *&c.*
*I*llstrmum *C*urlandia *D*ucem *i*ncompetentem *h*oc *i*n *p*uncto,
*i*d *e*st *s*uæ *P*retensionis *i*n *D*istrictum *P*iltensem, *q*uod *u*terum *b*ene *n*-
*o*tandum *A*ctorem *e*sset *a*dinvenit. *&c.*

*Q*uemadmodum *a*utem *p*raevius *e*iusmodi *i*n-
*i*formationibus. *C*ausæ *N*obilium *c*ontradictentium *&* *l*ura *s*ua *d*e-
*f*endentium *s*inceritas, *i*n *f*acie *R*eipub. *m*agis *m*agisq; *c*ollustratur,
*p*lurimorumq; *P*atrociniis *c*ustoditur, *i*ta *q*uoq; *g*enerosa *c*orundem *N*o-
*b*ilium *P*iltensium *p*ectora *n*on *c*onturbantur. *i*is *i*n*i*uriæ *v*erbis, *q*ui-
*b*us *i*n *p*rafate *D*eductio*n*is *p*utati*u*i *i*uris *D*ucalis *C*onclusionem, *I*m-
*m*origeri *s*ubditi dicuntur, *a*d *s*onum *v*ocis *E*cho, *n*am *n*on *E*ntis

Maneant igitur Jura: & Privilegia Nobilitati Districtus Piltensis integra & salua, hac documentorum premissorum basi firmissime nixa. Maneat quoq; lisdem integerrima fidei in Rempub. Polonam fama, olim Testimonio Illstris Doni. Chodkiewiczzy &c. comprobata Hoc tenore.

IOANNES CAROLVS Chodkiewicz, Comes in Sklovv Bychovv, de Myszn, Capitaneus Samogitiæ, & Dorpati, Cōmissarius Generalis Livoniæ, & Exercitus M. D. Lit. supremus Præfectus.

VNiversis & Singulis quorum interest; notum facio, Generosos Dominos, Nobiles Piltenses, fidem suam & promptitudinem S. R. Mti. & Reipub. indefesso studio approbantes, non solum tum temporis, cum Carolus Sudermaniæ Dux Exercituum suum Copiis Nostris, ad Kircholmium, acie opposuisset, suppetias Nobis expeditâ Equitum alâ venisse; & prælio cum eodem commisso adfuisse, strenueq; & fortiter depugnasse: verum etiam recenti hac aduersus Mansfeldum expeditione non vocatos à me, nec literis S. R. Mtis, admonitos, sed sponte sua, & ultro, sumptu suo, eadem promptitudine, unum vexillum Equitum, in Castra adduxisse, fidelemq; & tam velitando, quàm tncurrendo hostem, tum vigiliis, & omni officiorum genere operam strenuam navasse. Quæ cum laudem quam maxima m promereantur, & ab innata generosis animis gloriæ cupidine fluxere, cum præterea virtus, hdei sanctitas, & res preclaræ gestæ in mortalitate famæ, tanquam iustissimo precio rependatur, harum virtutum, huius fidei ipsorum monumentum, præfenti hoc Testimonio Posteritati & æternæ memoriæ consecro. Scriptæ in Castris 27. Octobr. Anno 1608.

*Ioannes Carolus
Chodkiewicz m.p.*

*Locus
Sigilli,*

Fa veat

Faveat deniq̄ quisquis est bonus Reipublica Civis, equitatus, & libertatis amans, iusta Nobilium Piltensium defensioni, contra Impetitionem iurium & Privilegiorum eorum, quoniam sub ea defensione Reipubl. quoq̄ Polonia negotium vertitur.

Si enim in lure Civili, qui famam negligit, crudelis dicitur: quanto vero lidem Nobiles Crueliores forent in se, suamq̄ Patriam, si neglecto naturali legit. me Defensionis beneficio, non solū suam, sed etiam successorum, & totius posteritatis incollumitatem Illstræ Domus Ducalis Curlandæ acquirendi desiderii subiugandam permitterent.

Cum itaq̄ quod iure fit, ritè fiat, Ideoq̄ Nobiles Districtus Piltensis Causam suæ Defensionis, D. squisitioni, legum, & Reipubl. cognitioni committentes, nullius omnino invidia & odio prohiberi debuerunt, vel in posterum debeant, quominus hac suæ Defensionis industria, tam ceteros Nobiles, Confratres suos ad meliorem sensum, & ad concordiam secum reuocent; quam etiam se suaq̄ iura, S. R. Mtu, totiusq̄ Reipub. curæ & protectioni deuotissime commendent nemo negare poterit, quod Nobiles Piltenses Protestantes quæ hactenus pro ea se sua defensione egerunt, hac via, & ratione iuste fecerint & in posterum facturi sint,

